



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Gvillelmi Postelli De Repvblica

Postel, Guillaume

Lvgdvni Batavorvm, 1635

Cap. II. De tribubus, & aliis populi partibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

*Neutra permisi vincere parte
nefas.*

CAP. II.

*De tribubus, & alijs populi
patribus.*

RESTITUTA populo pa-
ce, nobis de tribubus dicē-
dum alius repetita origine vi-
derur. Solent fere omnes popu-
li, nationes, urbesque, ut inquit
Livius, suas consecrare origi-
nes, à claris scilicet hominibus,
aut ab illis quos rudis & rerum
ignara vetustas, mundique
adolescentia in deorum repo-
suit numerum, nomina sibi im-
ponentes. ita alii Iovem (cuius
vocabulum ex veteris testa-
menti vocabulo יהוה factum
ab ethnicis est) Martem alii,
Mercurium, Pallada, Vulca-
num, & huiusmodi portentosa
deorum vitio nobilium mon-
stra, ad maiorem virtutis & an-
tiqui-

tiquitatis opinionem, suarum
 urbium aut gentis authores,
 instauratores vendicant. Athe-
 nienses ergo quum non vide-
 rentur sibi satis una *αθῆναι*, id
 est, Palladenobiles, variis etiam
 sui populi partibus, quas tribus
 dicunt, nomina ab eponymis
 dedere. Erant vero *ἡρώωνες*,
 heroës, primi scilicet illi quos
 suprema hominum memoria
 noverat, qui virtutis ergo sta-
 tuas Athenis habebat, habue-
 rantve in eo Athenarum loco
 qui non longe à buleuterio
 quingentorum virorum erat: ut
 illis statuis tam virtutis per me-
 moriam præmium illis referri
 cognosceretur, quam incitarien-
 tur omnes his exemplis ad vir-
 tutem. Primum itaque fuere
 quatuor tribus. Una à Cecro-
 pe prisco (nam si Pausaniae cre-
 dimus, fuere duo) dicta Cecro-
 pis est: altera *ἀνδροχόων*, id est,
 indi-

ATHENIENSIVM. 39

indigena peculiari gentis vocabulo. Tertiam Actæus ἀκταίου dixit. Quartæ à maris vicinia nomen fuit παραλία. quibus vocibus antiquatis, Cranaus quatuor diversas indidit, Cranaia à se, Atthida, Diacrin & Mesogæan. Altera vocabulo gentis, Diacris à summo loco urbis (sunt enim Athenæ in colle sitæ) Mesogæa à media parte vocata est. Ut autem mater adulterium tegeret, Iovem patrem habuisse creditus est Erichthonius: qui ut patri falso credito gratiam referre simularet, abrogatis his, à diis vocabulo imposuit quatuor. Διόδοι itaque primam à Iove dixit, alteram ἀθηναϊάδοι à Minerva, sequentem ἠφαιτιάδοι à Vulcano illic summopere coli solito nominavit: quartæ à Neptuno ποσειδονίασ nomen fuit. Inde unaquaque harum in tres partes (quas ita

à tribus, non à tribuendo ut pu-
 tant dictas novimus) divisa, nu-
 merus ad 12. pervenit. Nomen
 Græcum est, etymi argumento.
 τριτὸς enim vocant ^{ἀπὸ τῶν}
 τριῶν, id est, à tribus, ut Latini
 primum etiam à ternaria popu-
 li partitione in Tatiensem, Lu-
 cerem, & Rhamnensem facta.
 Hæ duodecim partes tertix du-
 ravere ad tempora usque Alc-
 mæonis 660. annis, aut circi-
 ter. Iste oraculi Apollinis re-
 sponso 10. tribus à principibus
 qui ante illum regnaverant ma-
 iori fama, nominavit. Cecropis
 à Cecrope, Erechthis ab E-
 rechthæo dicta, Ægeis, Pandio-
 nis, Acamanthis, Leontis, Oe-
 neis, Hippothoontis, Antio-
 chis, Æātis: quibus adiectæ sunt
 Antigonias & Demetrias, ut 12.
 numerum complerent: quæ ipsæ
 singulæ (ut pridem quatuor) in
 tres partes divisæ reddebant sex
 & tri-

& triginta tribuum numerum:
 quas Romani una minus sunt
 imitati. Vnde patet non tantum
 legum, sed & divisionis populi
 Attici exemplo usos fuisse. Ista
 quam magni sint momenti, in
 rebus reipub. Atticæ perpen-
 dendis postea videbitur. A qui-
 bus porro principibus, tribus
 nomina sumpserunt, illi 12. epo-
 nymi dicebantur, quos nescio
 an vocet duodecim Athenien-
 sium deos Herodotus in Erato,
 quoniam idem author quum
 aliquot nomina illorum ibidem
 adscripsisset, in Euterpe ait 12.
 deos primum in Ægypto cul-
 tos, indeque in Italiam porta-
 tos, habuisse Pisis aram com-
 munem, quæ *Δώδεκα θεῶν βῶμος*,
 id est, XII. deorum ara voca-
 batur. Reges vero deos vocari,
 quod aut regnarent quadā equi-
 tate, aut aliquando regnavis-
 sent, mihi præter copiosam am-
 plissimam

plissimamque tam Græcæ quam barbaræ historiæ fidem author est primo Politicorum Aristoteles. Unde & deos & reges potuisse vocari constat, & illos *xxiiii.* deos fuisse. *xii.* Ægyptos advectos, totidemque Atticæ reges. Pausanias in Atticis ubi de Eponymis dicit se adferre sententiam Herodoti de illis, tamen longe diversis nominibus & summa ab illo id facit. Pauciores enim *12.* adfert, iisque Attalum, Ptolemæum, atque Hadrianum cuius tempore scribebat, addit. usque adeo gloriæ ardor, & popularium blandimenta valebant, valentque, ubi in aliquam opinionis partem procubuit ambitio. Sed de Eponymo magistratu suo loco. Cognito populo, illiusque partibus explicatis, nunc ad magistratuum narrationem est veniendum.

CAP.